



# NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXI.  
DIE XXX. JULI.



*Arisis, a. d. 7. Iulii.*  
Iolino Doctore at-  
que Syndico Sor-  
bonnensi libellus  
obfiguatus, a. d. 30.  
Iunii, ex Regis man-  
dato missus est, in

quo ei iniungebatur, vt officio suo sta-  
tim se abdicaret, nec ad conuentus, qui  
primo cuiusque mensis die institui so-  
lent, in posterum veniret. Cumque die  
sequenti centum & sexaginta Doctores  
conuenissent allata & eis sunt a rege  
mandata, vt *Romingum, Decani Facul-*  
*tatis* consanguineum, muneri illi præ-  
ficerent: id quod & factum deinde est  
frustra contradicentibus centum & octo  
Doctoribus. Cum autem *Romingus*  
iste perorare cœpisset, fuit non nemo,  
qui voce clara exclamaret, quis hic,  
*inquiens*, verba facit? cui *Romingus*,

quem Rex iussit, respondit. *Alia, a. d.*  
*eundem Iulii.* Hesternæ die Rex noster  
*Christianissimus*, sexaginta novos Equi-  
tes ordinis *S. Ludovici* creauit. Lega-  
tum turcicum exeunte mense Augusto  
hinc discessurum, Constantinopolinque  
rediturum aiunt.

*Londini, a. d. 4. Iulii.* Proxime præ-  
terita saturni die, in *Curia inferiori* de  
libello, a Rege pridie eius diei misso  
fuit deliberatum, vtrum videlicet pe-  
cunia, quam ex pacto Suecis numerare  
se debere significauit, promitti possit  
ac debeat. Hic cum nobilissimus *Val-*  
*pole*, Regem nihil dubitare dixisset,  
fore, vt petitis suis curiæ Proceres tan-  
to adsurgant libentius, quanto clarius  
ac luculentius id futurum esset tum  
in Rempublicam, tum in religio-  
nem ipsam ardoris amorisque docu-  
mentum; fuerunt e contra, qui cum

*Schip-*



*Schippenio*, in Regis consiliarios multa inuehi auderent, tum propter bellum Hispanis illatum, tum ea quæ hucusque aduersus Russos fuere tentata; his enim rebus non solum negotiationem Anglorum fuisse impeditam, sed & pecuniæ maximam vim profusam. Quibus auditis, *Robertus Valpole* ita respondit: „Qui sic de Rege atque his, qui cum eo ad gubernacula Reipublicæ sedent, iudicant, eos partim animum ostendere inimicum, partim suam prodere in administranda Republica, ignorantiam; neque enim quidquam eorum quæ Rex suscepit, temere ac præter necessitatem factum esse. Præterea vero & bellum Hispanicum iam finitum, & pacem inter Suecos atque Russos pene in vado esse. Post hæc fœderis illius cum Suecis anno 1720. a. d. 21. Iun. initio conditiones nonnullæ sunt prælectæ, quæstioque illa agitata denuo, num pecuniam Suecis ex pacto illo numerandam compromittere debeant. Quod cum factum esset, nihil suffragiis opus fuit, plerique enim omnes nequaquam Regi refragandum, sed quantum dare debeant, in confesso proxime instituendo, eoque ampliori, deliberandum censuerunt. Cum igitur die hesternæ, eiusdem rei deliberatio suscepta fuisset, nonnulli atque in his maxime *Windham*, *Iekyl* ac *Molesworthius*, longe vehementius, quam ante factum erat, intercessere. *Molesworthius*, quem stupefacti omnes intuebantur, his fere verbis mentem suam aperuit: „non se quidem cuiquam cedere in tutanda Regni Magnæ Britanniæ gloria, sed tamen non passurum etiam, vt gentis opes ita prodigantur. Angliam enim a longo iam tempore, a variis gentibus in fœdus societatemque vocatam esse, quam sæpissime, sed fuisse semper in-

star pecoris, quod distenta lacte vbera Sociis exinanienda præbere debuerit, Anglos e contra, quoties aliorum ope indignissent, maximis eam pecuniis redimere debuisse: id quod exemplo Hollandorum doceri possit, quorum copias nuper aduersus rebelles Scotos euocauerant. Addidit: non posse perspicui, quo societas hæc Suecica valeat. Fœdera cum Suecis diuersis temporibus inita, valde sibi inuicem fuisse contraria, cuius rei exemplo esse, duo illa, quorum alterum *Rothschildæ* alterum *Trauenthalæ*, a *Carolo II.* & *Wilhelmo III.* fuit initium: neque conuenire fœdus hoc Suecicum, cum his, quæ Anglis cum Danis intercedunt: contrarium etiam esse consiliis, cum Magno Russorum Duce, ad reprimendos Suecorum spiritus susceptis; quin nec veritus est adfirmare: „iniquum esse, si fœdus hoc eo fine sit susceptum, vt Russi ad reddendas regiones Suecis ereptas, cogantur, cum reges ceteri, quæ occuparunt, sibi retinere adnitantur. Quo enim iure Russus ad restituendam *Liunioniam* aliasque Prouincias cogi posse videtur, eodem & *Stetinium*, a Rege Borussiae, nec non *Bremensem* ac *Verdensensem Ducatus* ab *Electore Hanouerano*, repeti posse. Equidem eam esse Sueciæ fortunam, vt nemo bonus illam non commiseretur; sed tamen suo ipsorummet vitio Suecos hanc sibi attraxisse calamitatem, eo quod temerarios quosuis Regis defuncti ausus, etsi non probauerint, tamen iuuare nunquam destiterint. Quorum exemplum quæcunque gens fuerit secuta, haud esse dignam fatis melioribus. His ita peroratis, de *Duce* quoque *Megalopolitano*, sic suam exposuit sententiam: Non omnino negari posse, duriori eum in suos fuisse



„fuisse vsum imperio, sed arbitrium rei  
 „huius & inde motæ litis, Cæsari, atque  
 „*Statibus Imperii* esse reliquendum,  
 „necesse, cur Angli quidquam sibi ea  
 „in parte facebant negotii. Denique  
 sermonem hunc suum, quem omnes  
 attoniti audiebant ita finiuit: „Quod si,  
 „inquiens, Angli colonias suas cura-  
 „rent diligentius, breui ex iis appara-  
 „tum naualem omnem habere possent,  
 „nec opus foret, eundem a Suecis, Nor-  
 „uegis, aut aliis quibuscunque genti-  
 „bus tanto redimere pretio, quemad-  
 „modum adhuc factum est. Huic dein-  
 de, cum, quæ voluerat, dixisset, *Val-*  
*polius* vterque, nec non *Lechmorus* si-  
 gillatim ad omnia, vr deuit, respon-  
 derunt, inquierentes: „rudem illum, ac  
 „reipublicæ regendæ imperitum esse  
 „oportere, qui non intelligat, Princi-  
 „pes in fœderibus atque societatibus  
 „ineundis, leges atque conditiones,  
 „pro temporis ratione, proque statu  
 „sociorum constituere debere. Tan-  
 dem cum vtrinque disputatum satis  
 fuisset, *Laundesius* percontatus est ex  
 omnibus, an postulatis regis de summa  
 illa pecuniæ, 72000. librarum *Sterlin-*  
*gicarum* sit annuendum? id quod ex sen-  
 tentia centum nonaginta patrum, aliis  
 centum triginta sex contraeuntibus,  
 adfirmatum ac inter decreta curiæ re-  
 latum est.

*Roma, a. d. 5. Iulii.* *Cardinalis Albe-*  
*ronius* obtinuit iam a Pontifice, vt ei  
 res suas, quas Genuæ compositas habet,  
*Centum Cellas* transportandas curare li-  
 ceat. Proximis hisce diebus, denuo  
 huc sex præcipuæ dignitatis viri ex An-  
 glia accessere, quibus ab illis, quorum  
 id interest, condignus honor habitus  
 fuit. Pontifex Maximus superiori die  
 saturni, propter calculi dolores, quibus  
 adfligebatur, nemini veniam sui con-  
 ueniendi concessit.

*Hassnia, a. d. 5. Iulii.* Princeps iu-  
 uentutis, quem nonnulli in Angliam  
 profecturum existimabant, iter iam an-  
 te triduum, sed in Holsatiam suscepit,  
 perrecturus inde ad Aulas quorundam  
 Principum Saxoniorum. Litteris ex  
 Suecia missis docemur, inducias cum Rus-  
 sis iam esse factas, nec dubitari, fore, vt  
 illis durantibus pax ipsa concilietur.

*Hamburgi, a. d. 11. Iulii.* *Petropyrgo*  
 nuntiatur, Classem, quæ nuper *Cron-*  
*schlotten* soluerat, eodem iterum rediisse,  
 summumque eius Præfectum *Apraxin*  
 accepisse litteras, quibus ei prohibetur  
 Reualiam proficisci, Magnum enim  
 Moscouiæ Ducem breui eo traiecturum,  
 simulac videlicet nuntius Nystadium  
 celoce profectus, redierit; esse namque  
 spem, illam præcipuas pacis conditio-  
 nes, a Suecis iam admissas allaturum,  
 Legatos enim Suecicos profectos iam  
 nuper esse, ius successionis in Regno suo  
 Principi Holsatorum nequaquam dene-  
 gatum iri, si Regem sine hærede mascu-  
 lo decedere contigerit.

*Dresda, a. d. 15. Iulii.* Rex *Augustus*,  
 quem nuper *Lichtenburgum* nauis pro-  
 fectum nuntiauimus, ante triduum,  
 veredis vsus, ad nos rediit. Ei vir  
 quidam, natione Gallus recepit, se cer-  
 uos complures, trium annorum spatio,  
 ita domiturum atque condoceraturum,  
 vt iumentorum instar iugo submitti,  
 rhedisque trahendis tuto adhiberi pos-  
 sint; quam ob causam Rex vitulos ali-  
 quot ceruorum comprehendendos ei-  
 demque tradendos curauit.

*Iipsia, a. d. 20. Iulii.* Litteræ, quas  
 Hamburgo accepimus, docent, Princi-  
 pem Iuuentutis, ex Dania Altonam ac-  
 cessisse, urbemque Hamburgensem, se-  
 mel atque iterum, comitis Oldenbur-  
 gensis nomine, ne a quoquam agnosce-  
 retur, perlustrauisse: qua re aduersa,  
 non

non potuisse committere Urbis illius Magistratum, quin denuo ad urbem venientem tormentorum fragore, honoraret, sed donis etiam, quæ ex more mitti consueverunt, animum principis illius sibi demereretur. Ex Suecia nuntiatur, pacis illic spem in dies affulgere certiore. Aboa interim Finnoniæ Metropolis, coorto incendio tota conflagrauit, vt copiosissimæ urbis, vestigium tantum superfit. Toti in eo sunt Russi, vt amoliantur a se subditi ignis suspicionem, in primis, quod eodem fere tempore flammam urbis tecta conceperunt, cum ea decederent copiam Russorum. Alioquin Osnaburgam, agmen aquarum cælestium subito delapsam funesta adeo illuuiione inundauit, vt tota vrbe campisque cubiti altitudine aquæ illæ diutius perstiterint: Damnum vrbi agroque eius illatum vix æstimari potest.

*Ratisbona, a. d. 17. Iulii.* Machina illa, incendiis restringendis inuenta, nouum iterum sui documentum præbuit. Enim vero horreum stramine, pice & omnis generis materia igni alendo apta, refertum accensumque intus, nullo negotio ita eius ope a flammis vndique invalescentibus, liberatum est, vt, ne scintillula tanti incendii, manserit residua.

*Vienna, a. d. 26. Iulii.* Excellentissimus Comes *Mercius*, summus copiarum Cæsarearum in Comitatu Temesuariensi Præfectus a. d. 22. cursu publico vsus, Temesuariam discessit. Eadem illa die & Comes *Stephanus Kinskyus*, Imperatori Augusto a Consiliis, itineri se dedit, ad Aulam *Magni Russorum Ducis*, vt ibi legati extra ordinem munus obeat, profecturus. His diebus, societas Orientalis, naues complures

mercibus omnis generis onustas, Taurunum dimisit.

*Posonii, a. d. 20. Iulii.* Litteris Pesthino missis docemur, spem dimittendæ *Commissionis Excessæ*, qua sustentabantur adhuc, qui illic rebus præfunt, magis magisque evanescere. Ferunt enim, eam esse Imperatoris, iuxta & Regis nostri indulgentissimi mentem benignissimam, vt sine cessatione, querelæ, quas negotia religionis pepererunt, illic accipiantur, atque vbi mutuis partibus vtriusque responsionibus, *replicas* dicunt, his confirmatæ fuerint, ab *Excessæ Commissione* sub examen vocentur, tandemque, latis ex iusto & æquo sententiis, ad Cæsarem Augustum, transmittantur; vt discuti ab ipso Rege possint, & ex sententia partis vtriusque clementissime componi. Alioquin, quod plures ex eorum numero, quibus res tam ardua commissa fuerat, ad suos, messis procurandæ causa, digressi sunt, spem esse, vt proxime redeant, & negotia sibi mandata penitus conficiant: Interim a labore haud cessasse eos, qui illic manserunt residui. Apud nos tempestas infesta adhuc viti est, vt sint, qui metuant, ne ea nobis vinum gignat illi consimile, quod anno 1716. habuimus, hoc est, austerum minusque probum. Nupero die *Saturni*, *Hamburgensium* legati, qui vrbi suæ, Augustum Imperatorem reconciliauerunt, ad ciuitatem nostram accesserunt, atque triduo post, cum ea, quæ sunt apud nos visu digna, lustrauissent, Viennam iterum redierunt, rebus, ex animi sententia confectis, proxime ad suos remeaturi. Naues, quas Taurunum, mercibus onustas, societas Orientalis Vienna soluere iussit, his diebus apud nos apulsæ sunt, iterque suum secundo anne, sine cunctatione, perrexerunt.